

certissima illatio ex hoc principio quod non potest uti cognoscibilitate creata ut ratione formali et motivo etiam non addendo novam perfectionem cognitioni, sed novam extensionem. Secundo, debere cognoscere creaturas in se ut in causa prius cognita, nec subsistere contra hoc fundamenta Vazquez.

XIII. Primum ergo manifeste deducitur ex doctrina D. Thomæ qui essentiam divinam docet se habere ut speciem, et ad cognoscendum creaturas in Deo. Nam loquendo de beatis id expresse affirmat supra, quæstione XII affirmando Deum non cognosci per similitudinem creatam quæ sit species, sed per ipsam essentiam divinam quæ mediante lumine unitur intellectui, ut patet in articulis II et V, similiter docet ipsas creaturas videri in Deo non per aliquas species, sed per ipsam essentiam divinam intellectui eorum unitam, ut docet ibi articulo IX, sentit ergo essentiam divinam habere rationem speciei. Loquendo autem de ipso Deo, qui se ipsum cognoscit, et in se creaturas, etiamsi habeat infinitum lumen expresse docet in hac quæstione, articulo II: « Quod intellectus divinus, neque caret specie intelligibili, sicut intellectus noster cum intelligit in potentia, neque species intelligibilis sit aliud a substantia intellectus divini, sicut accidit intellectui nostro cum est actu intelligens; sed ipsa species intelligibilis est intellectus divinus, et sic se ipsum per se ipsum intelligit. » Eadem docet articulo quarto. Quod vero creaturas intelligat per speciem non quidem creatam, sed increatam, quæ est ipsa essentia divina, quatenus continet similitudines omnium creaturarum, licet principaliter sit ipsius Dei, ut principalis objecti intellecti, docet in hac quæstione, art. V expresse. Ergo

aperte contra D. Thomam loquuntur qui solo lumine infinito remota specie Deum cognoscere vel se, vel creaturas, affirmant. Et ratio quæ ad id cogit est ipsa essentialis ratio cognitionis, quæ sine dubio perfectionem dicit et formaliter in Deo reperitur, est enim formaliter sapiens, et intelligens sicut formaliter volens et vivens, nec enim in hoc conceptu aliqua imperfectio reperitur, ut præcedenti disputatione, art. III ostendimus. Ergo etiam debet reperiri in Deo id quod essentialiter conceptum cognitionis, ingreditur. Essentialiter autem cognitio respicit objectum, quia si objectum non habet nihil cognoscit, quia ad nihil est. Si autem cognitio vera est, objectum habet. Rursus hoc objectum oportet quod intus sit in potentia cognoscitiva, quia ab objecto et potentia paritur notitia ut habet axioma commune, in hoc enim differt objectum voluntatis ab objecto cognitionis quod objectum voluntatis est terminus inclinationis, et sic non ad intra trahitur, sed voluntas ponderat et movetur in illud; objectum autem intellectus seu cognitionis trahitur intra intellectum, et ibi fit assimilatio potentiae ad illud. Ergo notitia intra intellectum paritur seu vitaliter procedit, et cum assimilatione ad objectum, oportet ergo quod si salvatur essentialis, et vera ratio cognitionis, salvetur intra intellectum vitalis partus notitiæ, et cum pariat non a potentia, sed actuata objecto, quia similis objecto, et specificata ab illo procedit, oportet quod objectum intra intellectum sit intelligibili, et repræsentativo modo, ut talis intelligibilis actus ab eo procedat. Ergo tam essentialiter requirit speciem cognitionis creaturarum non obstante infinito lumine Dei, sicut requirit procedere ab intelligibili objecto ut a principio suæ assimilationis et specifica-

tionis seu determinationis erga tale objectum. Sed de hoc plurima diximus supra, disputatione XIII, art. I, et in lib. de anima, quæst. V.

XIV. Hoc autem principio stabilito, sequitur per bonam consequentiam primo contra p. Herice, et alios non posse Deum attingere creaturas utendo propria earum cognoscibilitate ut ratione formali et motivo, sed solum ut termino cognito tamquam objecto secundo, etiamsi dicatur hoc non addere perfectionem divinæ cognitioni, sed solum extensionem quamdam. Et consequentiæ vis in hoc consistit et explicatur, quia non potest Deus aliquo modo etiam per extensionem, et sine nova perfectione creaturas cognoscere nisi utendo aliqua specie repræsentante illas, et implicat uti specie repræsentante illas immediate, sed necessario debet uti specie repræsentante mediate et secundo, atque adeo repræsentante principaliter, et immediate divinam essentiam, ergo implicat ullo modo uti cognoscibilitate creaturæ, ut immediata ratione formali vel motivo cognoscendi illas. Minor probatur, quia implicat intellectum divinum informari specie creata, et uti illa, sed solum specie increata, alias aliquo creato informaretur, et perficeretur, essetque capax accidentium Deus. Species autem increata est ipsa essentia divina in esse intelligibili, ergo principaliter, et immediatius debet repræsentare se ipsam, et esse species sui quam creaturæ, sicut essentia Angeli non potest non esse immediata species sui, non autem ejus quod sibi simile est. Item quia cognoscibilitas creata in se immediate sumpta, finita et limitata est, utpote creata, ergo non potest esse formalis ratio cognoscendi nisi finito et limitato modo ex parte cognoscentis et utentis illa, quantumcumque enim lumen infinitum, si repræsen-

tatio finita est et finito modo fit, non potest infinita reddi, sicut virtus Dei infinita si utitur instrumento finito non potest non operari modo finito, ideoque non potest creare per instrumentum creatum, Deus autem nullam creaturam potest cognoscere limitato et finito modo ex parte cognoscentis, quia non potest habere cognitionem creaturæ, quæ non sit summe comprehensiva etiam totius potentiæ obedientialis creaturæ, quia utitur infinito lumine; ergo et infinita specie, et repræsentatione infinita quæ sola tali lumini proportionatur; ergo nullo uti potest cognoscibilitate creata, ut ratione formali movente et repræsentante.

XV. Unde manifeste deducitur non pertinere ad perfectionem divinam cognoscere res omni modo, quo cognoscibiles sunt ex parte cognoscentium, sed omni modo, quo cognoscibiles sunt ex parte rei cognitæ, sub altiori tamen motivo, et formaliratione; alias oporteret quod Deus cognosceret omni modo imperfecto ex parte cognoscentis, verbi gratia, cum discursu, cum connotatione, et respectu ad res creatas, et omni alio modo quo nos imperfecte cognoscimus Deum et creaturas, quod est omnino absurdum, hoc enim non pertinet ad perfectionem cognoscendi, sed potius ad imperfectionem, quia tales modi cognoscendi imperfecti sunt et denominant intellectum imperfecte cognoscere. Nec est simile de cognitione intuitiva creaturarum, hæc enim non addit novam rationem formalem t motivam cognoscendi, sed solum novam terminationem ex parte rei cognitæ, scilicet quod attingatur in exercitio existens; cognoscere autem creaturas sub propria earum cognoscibilitate tamquam sub ratione formali, et motiva cum illa sit limitata et creata, hoc impossibile est

et imperfectionem refundit in divinam cognitionem.

XVI. Secundo, sequitur ex eodem principio contra p. Vazquez, divinam essentiam non solum manifestare Deo creaturas tamquam species, et medium cognoscendi illas ut quo, sed etiam ut res prius cognita non solum motive, sed terminative, et ut objectum quod. Hanc esse sententiam D. Thomæ supra ostendimus disp. xv, articul. iii. Et constat ex his quæ docet in hac quæstione, articulis v et vi, ubi docet Deum cognoscere creaturas, quia cognoscit virtutem suam quæ est productiva creaturarum. Et articulo septimo, concludit in calce corporis quod effectus suos videt in se ipso tamquam in causa, non ergo solum se habet per modum speciei repræsentantis, quia quando cognoscuntur aliqui effectus in causa, necesse est quod talis causa ducat in illos, ut res prius cognita, non ut species repræsentans, species enim repræsentans si non exerceat aliud officium, quam repræsentandi immediatam notitiam parit de objecto repræsentato, non autem scientificam et per causam seu in causa, sicut quando nos intuitive per speciem videmus aliquod objectum, species solum facit cognitionem objecti sui immediatam, non autem rem facit cognoscere per causam. Ut ergo res aliqua per causam aut in causa cognoscatur, debet esse in causa prius cognita, non per modum speciei solummodo se habens.

XVII. Nec obstat quod D. Thomas in hoc eodem articulo septimo hujus quæstionis ad secundum dicit quod Deus non cognoscit effectus per causam prius cognitam, sed in causa. Respondetur enim quod non negat eos cognoscere in causa cognita, sed negat per causam cognitam cognoscere effectus, distinguens inter cognoscere per causam vel in

causa, quia ly per causam indicat illationem discursivam, ly vero in causa simplicem attingentiam, solum autem vult D. Thomas excludere discursum a Deo, ut patet in verbis immediate sequentibus in illa solutione ad secundum: « Unde ejus cognitio est sine discursu ut dictum est. » Hoc ergo solum intendit excludere D. Thomas. Denique, videri potest idem doctor sanctus in i, distinct. xxxv, quæst. i, art. iii ad quartum, ubi docet: « Quod illud per quod habetur scientia certa de aliqua re potest esse medium ad concludendum rem illam, et sic se habet essentia divina ad concludendum esse rerum. » Sed medium quod assumitur ad aliquid concludendum, se habet ut objectum cognitum ut quod, sicut præmissæ respectu conclusionum, non sicut sola species repræsentans immediate objectum ut medium quo, ergo secundum D. Thomam essentia divina ut res cognita repræsentat creaturas. Quod ipsum expresse docet i contra gent. cap. xlix, id quod probat ex S. Dionysio vii cap. de divinis nominibus, quem locum late ponderavimus disputatione xv citata, art. iii, et varias solutiones quæ ipsi et D. Thomæ assignantur a contrariis rejicimus: ibi videri possunt.

XVIII. Fundamentum autem hujus contra Vazquez ibidem satis deduximus et ostendimus nihil omnino obstat quod divina essentia non dicat relationem, aut dependentiam a creaturis, ut possit vere et proprie per ipsam tamquam per rem cognitam (sine discursu tamen) res creatas cognosci, sed sufficere ad hoc dependentiam ex parte creaturarum a Deo, ex parte autem Dei eminentiam qua necessario exigit eas habere pro effectibus, et ipsas reducit ad se tamquam ad primam et supremam causam, licet dependentiam ab eis non habeat, imo quanto cau-

sa est independentior ab effectu, perfectior est et magis influit atque adeo habilior est ut manifestet effectus et effectus reducantur ad ipsam. Hoc ibi ostendimus. Nunc sufficit ostendere ex illo principio stabilito hoc ipsum deduci quantum ad duo. Tum ad ostendendum fundamentum Vazquez nullo modo subsistere: tum ad ostendendum debere Deum prius cognosci ut rem cognitam, quam creaturas, supposito quod illa species increata non potest immediate repræsentare creaturas. Primum deducitur sic, quia fundamentum Vazquez in eo solum libratur, quod essentia divina non habet per se connexionem cum creaturis, quia etiam si creaturarum veritas vel possibilitas desineret, divina tamen veritas non desineret, ergo si potest salvari sine ipsis, non potest de necessitate demonstrare ipsas, quia stat bene poni Deum, etiamsi non sequantur creaturæ. Hoc autem fundamentum multipliciter deficit. Primo, instando ipsum in Deo ut habet rationem speciei vel ideæ repræsentantis creaturas. Constat enim divinam essentiam repræsentare creaturas per modum speciei, vel ideæ ita necessario sicut Deus necessario cognoscit illas, nec potest per aliam speciem cognoscere. Et tamen in hac repræsentatione non dependet a creaturis, sed sine dependentia ab illis, necessario repræsentat illas, ergo similiter sine dependentia ab illis potest per modum causæ demonstrare illas. Et parificatur hoc amplius, quia divinæ essentiæ convenit intrinsece et essentialiter esse ideam, et speciem repræsentantem creaturas, et consequenter hoc magis necessarium et immutabile est, quam veritas ipsa creata quæ repræsentatur per illam. Si ergo redderetur impossibilis creatura et illa veritas deficeret, vel maneret adhuc idea et species repræsentans in Deo

sicut nunc, vel non. Si non maneret, ergo destrueretur Deus ex destructione creaturæ, quod est absurdum. Si maneret, redderetur falsa, quia repræsentaret creaturam ut possibilem, cum jam esset impossibile, quod non minus destrueret Deum, ergo si hoc non obstante divina essentia necessario habet rationem speciei, et ideæ ad repræsentandas creaturas, cur non habeat ad demonstrandas tamquam causa, et res prius cognita sine relatione dependentiæ? Vide loco citato disputationis xv.

XIX. Secundo, deficit illud fundamentum, quia falsum est quod si deficeret possibilitas creaturæ remaneret potentia Dei quæ modo est, eo quod possibilitas creaturæ non potest intelligi, quod desinat et transeat in impossibilitatem, ex eo quod deficiat aliqua realitas creata extra Deum; sed quia deficit denominatio illa possibilitatis orta ex potentia ipsa divina, ut deducitur ex D. Thoma prima parte, quæstione ix, art. ii, hæc autem non potest tolli nisi deficiente potentia, sicut denominatio visi non potest tolli, nisi sublata visione, quia denominationes extrinsecæ non tolluntur, nec ponuntur ratione sui, sed ratione formæ a qua proveniunt, licet in se minoris entitatis sint quam ipsæ formæ. In his ergo falsum est illud fundamentum, quod ex ablatione minoris et infirmioris entitatis, non possit infirmior deficere, quando infirmior tolli non potest, nisi ex ablatione infirmioris. Et ita contingit in præsentī, ut latius expendimus dicta disputatione xv, art. iii.

XX. Instatur tertio, quia saltem alia conditionalis, si creatura est possibilis non potest stare, quod Deus non possit illam facere, est omnino necessaria: et ita connexa cum omnipotentia, quod si illa esset falsa omnipotentia deficeret, si

enim res aliqua esset possibilis, et stare posset quod omnipotentia illam non posset facere, deficeret omnipotentia aliqua perfectio in ratione virtutis, scilicet quod aliquod possibile non posset. Ergo conservari non potest omnipotentia Dei, nisi veritas illius conditionalis subsistat, atque adeo saltem ex vi visionis omnipotentia potest videri illa conditionalis, quod si lapis est possibilis Deus potest illum producere, si quidem habet connexionem cum illa. Et tamen veritas illius conditionalis est veritas creata, quia est de subjecto creato, scilicet de lapide si est possibilis, et tam lapis quam possibilitas ejus est aliquid creatum. Ergo aliqua veritas creata potest ex vi visionis divinæ essentia cognosci a Deo.

XXI. Secundum vero deducitur sic, quia ut dictum est non potest Deus cognoscere creaturas nisi per aliquam speciem eamque increatam, scilicet quæ sit ipsa divina essentia, sed hæc species non potest repræsentare immediate creaturas, sed Deum et in Deo seu mediante Deo repræsentato creaturas, ergo creaturæ cognosci debent mediante Deo ut prius cognito, et objective attacto, quia eo modo res attinguntur per cognitionem quo in specie repræsentantur. Minor patet, quia nulla species potest habere pro immediato objecto repræsentato, nisi id quod est primarium, et immediate sibi proportionabile ut repræsentetur, species autem increata, et infinita non potest habere pro immediato, et primario objecto suæ proportionis, et specificationis nisi rem increatam tamquam repræsentatam a se, ergo illam debet pro objecto respicere, creaturas autem solum ut contentas in eo, et vi secundario et mediate repræsentabiles, ergo etiam ut mediante illo primario objecto cognoscibiles, quia sic

sunt cognoscibiles quemadmodum repræsentabiles. Et confirmatur, quia Deus non potest creaturas cognoscere nisi comprehensive, ergo per reductionem ad omnia sua principia, et causas, causa autem prima, et suprema est ipse Deus, ergo per reductionem ad se cognoscit illas. Reducere autem aliquid in sua principia et causas est ex vi causæ cognoscere effectus, et ex causis tamquam ex præmissis eos videre, ergo sic Deus cognoscit creaturas. Nec ad hoc requiritur connexio ex parte causæ per modum relationis, et dependentiæ ad effectus, sed sufficit connexio dependentiæ ex parte effectus ad causam, in hoc enim fundatur reductio ejus ad causam non in causæ dependentia, quæ potius imperfectio est, sed sufficit eminentia causæ respectu effectuum in faciendo dependere eos a se, ut latius ponderavimus disp. xv citata, art. iii.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXII. Primo, objicitur pro sententia Vazquez locus D. Thomæ i contra gent. cap. LVIII, in fine, ubi inquit: « Quod essentia divina se habet ad alia non sicut principium ad conclusiones, sed sicut species ad res cognititas: » ergo non manifestat creaturas ex vi connexionis cum illis, sed ex vi repræsentationis. Et ratione probatur, quia Deus in tantum est causa creaturarum, in quantum est omnipotens; sed nostro modo intelligendi scientia præcedit omnipotentiam, si quidem scientia est directiva omnipotentia; ergo prius intelligitur Deus sciens quam omnipotens, ergo prius est sciens, quam sit causa, si quidem per omnipotentiam est causa: ergo in illo priori est sciens creaturas, et non per se ipsum ut causam, sed ut repræsentantem illas. Et confirmatur

primo, quia inter objectum quod est ratio cognoscendi aliud, et ipsam rem cognitam ex vi talis objecti debet intervenire aliqua similitudo, seu convenientia: vel ergo invenitur inter creaturas, et Deum sola similitudo intentionalis, et repræsentativa, vel etiam realis, et entitativa. Si primum solum se habet, ut species repræsentans. Secundum dici non potest, quia potius inter Deum, et creaturas est omnimoda dissimilitudo, et sola convenientia analogica: ergo non potest esse ratio cognoscendi creaturas proprie, et individualiter, sed solum in communi, et analogice. Unde S. Thomas in i ad Annibaldum, dist. xxxv, quæstione unica, art. iv ad iii, dicit: « Quod quamvis sit maxima dissimilitudo inter Deum, et creaturas, considerata proprietate naturali utriusque, tamen secundum modum repræsentationis est expressiva similitudo, in quantum repræsentat creaturas, et hæc, non prima requiritur ad cognitionem. » Ita D. Thomas. Denique confirmatur, quia cognitio in alio, vel ex alio est cognitio abstractiva, et discursiva, quæ nullo modo potest Deo attribui.

XXIII. Respondetur ad auctoritatem D. Thomæ quod negat essentiam divinam se habere, ut principium ad conclusiones respectu creaturarum, quantum ad modum discursus, quia non manifestat illas modo illativo, sed simplici manifestatione, sicut in speculo repræsentatur imago, et sic magis habet modum speciei, licet non immediate repræsentet creaturas, sed essentiam divinam, et mediante illa creaturas. Itaque quantum ad modum repræsentandi, et ex parte cognoscentis magis attribuit illi D. Thomas modum speciei, quia simplici modo repræsentat creaturas, quam modum principii ad conclusiones, quia non modo illativo,

et per discursum se habet. Ex parte tamen rei cognitæ non negat habere rationem causæ, et principii ad quod, ut ad rem cognitam reducatur cognitio creaturarum. Et eodem sensu loquitur D. Thomas in præsentis articulo vii ad secundum.

XXIV. Ad argumentum ex ratione respondetur, et ad majorem, et ad minorem. Ad majorem, in tantum Deus est causa creaturarum in quantum est omnipotens, distingo; in quantum omnipotens radicaliter, quod habet per suam essentiam, et naturam, concedo; in quantum omnipotens formaliter, quod est attributum consecutum ad intelligere, et velle tamquam potentia executiva, nego. Unde hoc ipso, quod Deus cognoscit suam essentiam, videt se esse causam creaturarum in radice. Ad minorem, scientia præcedit omnipotentiam, distingo; quoad exercitium ipsius omnipotentia, concedo; quoad rationem objecti cogniti, nego; scientia enim Dei hoc ipso quod est scientia divina habet pro objecto tam omnipotentiam, quam reliqua attributa, et quidquid in Deo est: actus tamen, et exercitium omnipotentia supponit actum exercitiumque intelligendi, sicut velle Dei sequitur ad intelligere quoad exercitium, et tamen quando Deum intelligit, etiam habet pro objecto suum velle suamque voluntatem.

XXV. Ad primam confirmationem respondetur inter Deum, et creaturas non dari solum similitudinem intentionalem, sed etiam realem, quæ licet entitative sit analogica, tamen causaliter, et secundum virtutem continet omnem rationem propriam, et formalem, quæ invenitur in creatura, quia est causa, et radix omnis perfectionis quæ in ipsa est: sicut substantia, et propria passio, quæ est accidens, secundum convenientiam entitativam analogice tantum conveniunt, et